Quæ sanè omnia domini ponderarunt, non ita ad certitudinaliter firmandum, quòd Dux Jacobus voluerit prorogare primogenituram Cardin. Bernardi, cum juxta eorum sensum dictus Dux voluerit concedere superi jocalibus, & talibus pictis primogenituram independentem ab omnibus aliis antiquis primogenituris, regulandam juxta suam specialem dispositionem, & juxta verba, quibus illam conceperat: Sed ad ostendendum, quòd ubi etiam juxta prætensionem moderni Ducis Salviati, voluisset prorogare antiquam primogenituram domus Salviatæ, nulla ratione poterat certò statui quòd potiùs unam, quàm alteram ex antiquis prorogaverit, imò quòd verisimilitudo
44 Potiùs faveret prorogationi primogenituræ ordinatæ à Card. Bernardo, tum quia est antiquior, ut dixit in simili Casanat. *cons.* 57. *nu.* 78. tum quia non continet vocationem adoptati, quem Dux Jacobus virtualiter exclusit, & demùm quia est magis propitia illis de sanguine, juxta dispositionem juris
45 communis, ut monent relati per Rodulph. *alleg.* 71. *n.* 24. & *per tot. dec.* 90. *n.* 14. *part.* 16. *rec.*

Postremò in comprobationem, quòd Dux Jacobus supposuerit particulari primogenituræ controversa jocalia, & tabulas pictas, & non primogenituræ Card. Antonii Mariæ, ponderarunt domini observantiam subsecutam. In facto enim habetur, quòd post obitum Ducis Jacobi, Dux Franciscus Maria filius confecit inventarium bonorum hæreditariorum dicti Card. Antonii Mariæ, & inter illa non descripsit controversia jocalia, & tabulas pictas. Prout de istis nulla fuit facta mentio in redditione rationis facta instante eodem Duce Francisco Maria cum relatione periti, ad effectum separandi bona fideicommissaria, & subiecta primogenituræ d. Cardinalis. Exindè signum admodùm clarum elici putarunt domini, quòd in rei veritate dicta jocalia spectarent ad aliam particularem primogenituram à Duce Jacobo constitutam. Nam aliàs cum Dux Franciscus Maria esset maximè intentus ad conservationem, & augmentum dictæ primogenituræ, utique non omisisset inter illius effe-
46 ctus describere hæc magni valoris mobilia. Ex qua sanè observantia validum descendit argumentum, maximè quia profuit ex facto filii testatoris, qui præsumitur apprimè informatus de voluntate patris, Rot. *dec.* 180. *num.* 20. *part.* 17. *rec.* & passim in aliis.

Non resistente responsione, quòd Dux Franciscus Maria professus fuerit facere inventarium eorum tantùm bonorum, quæ tempore mortis in sua hæreditate reliquerat Cardinalis Antonius Maria, & proinde mirùm esse non debeat, quòd non descripserit etiam bona, quæ post illius obitum suæ primogenituræ aggregata fuerant per Ducem Jacobum; nam non subsistit in facto, dum in dicto inventario non solùm adnotata leguntur bona hæreditaria ipsius Card. relicta de tempore sui obitus, sed etiam alia post ipsius mortem subrogata loco bonorum ab initio illius primogenituræ subiectorum; quare sicuti descripta fuerunt bona subrogata, ita pariformiter descripta fuissent alia, quæ successiuè incorporata prætenduntur eidem primogenituræ, quatenùs revera talis incorporatio adfuisset, cùm de jure bo-
47 na adjuncta fideicommisso assumant naturam aliorum bonorum fideicommissariorum, *l.* 1. *§. præterea, ff. de separatione bonorum*, Ramon. *cons.* 100. *n.* 370. cum aliis relatis, supra §. 13. Sicuti non refert, quòd Dux Franciscus Maria in confectione d. inventarii sibi reservaverit facultatem addendi, & minuendi bona; quia ultra quòd numquam successivè ad formam dictæ reservationis superadidit inventario controversa jocalia, & tabulas pictas, cessat difficultas; quia dicta præservatio posset salvare inventarium à nullitate, quatenùs comperiretur defectuosum; numquam tamen excludet præsumptionem, quòd non facta illorum descriptio indicet, quòd ea verè non fuerint pictæ primogenituræ aggregata, præsertim quia non agitur de rebus minimis, sed
48 de mobilibus magni valoris, de quibus non præsumitur faciliter ignorantia, & oblivio, præsertim in filio, Honded. *cons.* 35. *n.* 9. & 67. *lib.* 1. Rot. *dec.* 30. *n.* 30. cor. Priol.

Nec ullam promeruit animadversionem fides Nicolai Galassi facta die prima currentis, attestantis audivisse ab ore Ducis Jacobi, quòd ipse adiunxerat primogenituræ jocalia & tabulas pictas magni valoris, quòdque ultimus ex suis descendentibus non poterat de illis disponere, eò quia voluerat, quòd transirent in successorem ejusdem primogenituræ. Tum quia dictus testis est unicus, & deponit de facto sibi relato ab anno 1668. Undè post annos 30. & amplius non est verisimile recordari potuisse de facto rem alienam concernente, Rota *dec.* 326. *n.* 13. cor. Priolo. Tum quia dicens, quòd ultimus descendens ex Jacobo non possit disponere, includit D. Catharinam Mariam Zefirinam uti descendentem ex Duce Jacobo. Tum demùm quia magis apud dominos prævaluit factum Ducis Francisci Mariæ, non describentis inter bona primogenialia Card. Antonii Mariæ controversa mobilia, quàm informe dictum unius testis, inferioris notæ, cum quo non est verisimile Ducem Jacobum communicasse suam dispositionem præordinatam in testamento clausò & sigillato, ut in simili advertit Rot. *dec.* 226. *n.* 7. *p.* 12. *rec.*

Et ita utraque &c.

REVER. P. D. MOLINES DECANO.

Romana Canonum de Salviatis.

Lunæ 14. *Februarii* 1707.

ARGUMENTUM.

Legatum factum sub conditione, vel cum onere, si eidem personæ iterùm relinquatur purè, conditio, & onus censetur ademptum; id quod maximè procedit, quando secundum relictum est factum in diverso testamento, quidquid dicendum foret, si in eodem testamento, vel in codicillis fieret confirmatio primi testamenti, licèt repetat omnia in eo disposita, & contenta; tamen id non procedit quoad ea quæ fuerunt à confirmatione excepturta, & de quibus fuit de novo, atque particulariter dispositum, maximè si hæc secunda dispositio non se compatiatur cum prima.

SUMMARIUM.

1 *Bona fideicommissaria, deficientibus, & extinctis vocatis, liberè transeunt in hæredem ultimi substituti.*
2 *Si res legata alicui sub conditione, vel cum onere, posteà eidem purè relinquatur, conditio, & fideicommissum censetur in secundo relicto adempta.*
3 *Et pariter legatum priùs factum purè, & deindè sub conditione, est, & reputatur conditionale.*
4 *In iis, quæ relinquuntur iure legati, ultima dispositio, & scriptura attenditur.*
5 *Secus autem in iis, quæ relinquuntur jure institutionis, in quibus prima scriptura attenditur.*
6 *Ademptio potest fieri tacitè, & deduci ex coniecturata mente testatoris, & censetur facta, quoties dispositum in prima scriptura omittitur in secunda.*
7 *Quod ademptio coniecturata, atque desumpta ex sola omissione, tunc habet locum, quando secundum relictum abs que ea remaneret inutile, & frustratorium; secùs autem si secunda dispositio potest suum parere effectum absque eo, quod ademptio inducatur, ad intelligentiam* tex. in l. si tibi ff. de adim. leg. & l. non ad ea, ff. de condit. & demonstr.
8 *Quod ratio prædictorum textuum non consistat solùm in superfluitate vitanda, sed in eo, quod per secundam voluntatem puram testator censeatur recessisse ab antecedenti conditionata & onerosa*, n. 10. & 11.
9 *Talisque mutatio faciliùs præsumitur, si posterior dispositio non sit facta incontinenti, sed per intervallum.*
12 *Legatum translatum de una persona ad alteram, censetur translatum cum eadem conditione, quia tunc mutatur persona legatarii, non substantia legati, & nu.* 50.
13 *Sed id non procedit, quando legatum secundo relinquitur eidem persona simpliciter, quia diversa forma legendi eidem persona arguit voluntatis mutationem, & n.* 51.
14 *Legatum priùs factum uni sub conditione, si posteà eidem pro medietate relinquatur simpliciter, & pro alia medietate transferatur in alterum, hoc casu absque dubio censetur prima conditio adempta respectu primi legatarii.*
15 *Et si censetur adempta respectu primi, de necesse dici debet adempta respectu alterius, in quem altera medietas transfertur, ne unum idemque legatum diverso jure censeatur.*
16 *Quando agitur de dispositis in uno eodemque testamento, seu in testamento, & Codicillis, non censetur mutata voluntas, nisi in iis, quæ expressè reformata leguntur.*
17 *Secùs autem si reformatio interveniat, utpotè quia relictum prius sub conditione, deindè relinquatur purè.*
18 *Si verò agatur de diversis testamentis, tunc si legatum conditionaliter, vel cum onere in primo relictum alicui, in secundo eidem, vel diversæ personæ purè relinquatur, nulla tunc cadit difficultas, quin conditio, & onus ademptus, & revocatum censeatur, & nu.* 12. 27. 31. & 49.
19 *Novum testamentum revocat, & irritat primum cum omnibus in eo contentis, & quidquid in secundo non legitur, censetur revocatum.*

20 *Adducens pro se posterius testamentum, in quo fideicommissum expressè non legitur, dicitur habere intentionem fundatam in iure.*
22 *Testamentum, & non codicillum condidisse dicitur is, qui testamentum facere velle expressè protestatus fuit.*
23 *Et maximè si servavit solemnitates ad testandum necessarias, quæ servari non debeant in codicillo.*
24 *Item si discretivè loquutus fuit de testamento, & codicillo atque apposuit clausulam codicillarem.*
25 *Institutio hæredis potest fieri genericè per confirmationem illius, quæ jam facta fuerat in antecedenti testamento.*
26 *Clausula revocatoria prioris testamenti non exigitur ad ostendendum, quòd quis alterum testamentum condere voluerit, maximè quando testator per secundum totum non recessit à priori testamento, in iis enim partibus, in quibus primum expressè confirmatum non legitur ipso jure cassatum, & revocatum censetur.*
28 *Quando in secundo testamento approbantur, & confirmantur omnia disposita in primo tunc censentur quoque confirmata fideicommissa & substitutiones in eo adjecta, vel per viam codicillorum vel per viam repetitionis, & nu.* 53.
29 *Quod tamen non procedit quoad bona, & res de quibus in posteriori testamento fuit noviter, & ex integro dispositum, quando confirmatio est generalis, & nihil excipit, & nu.* 54.
30 *Exceptio licèt firmet regulam ab ea tamen excludit casus exceptos.*
31 *Quando quis de novo disponit reformando antecedenter disposita, tunc priores dispositiones omissa habentur pro non volitis, & revocatis.*
32 *Confirmatio generalis non comprehendit, sed excludit speciem, de qua nova & particularis facta est dispositio.*
33 *Substitutio generalis, & hypotheca, non refertur ad eos, quibus specialiter est provisum.*
34 *Confirmatio generalis Testamenti nil influit quoad relictum particulariter in Codicillis factum.*
35 *Dictio* etiam *stat ampliativè, & extensivè.*
36 *Primum legatum semper censetur ademptum, & revocatum, quoties in secundo de primo facta est expressa commemoratio.*
37 *Quando de uno legato efficiuntur duo, transferendo medietatem de uno in alterum, tunc sicuti substantia legati immutatur, ità censetur revocatum onus primo legato adjectum.*
38 *Si in secundo legato fuerunt apposita alia substitutiones, & alia onera non existentia in primo, antecedentes substitutiones, & onera priùs adjecta censentur ademptæ.*
39 *Quando dispositæ in secundo legato pugnant, & contrariantur substitutionibus factis in primo, utpotè quia ordo, & substantia earundem substitutionum totaliter mutati remanerent, tunc absque dubio dictæ substitutiones dicuntur in secundo legato adempta*, n. 52.
40 *Substitutiones novæ, & quæ in dispositione non leguntur non debent supponi, & figurari*, n. 42.
41 *Repetitio debet fieri sine alteratione, nec plus potest inesse verosi, quam relato.*
43 *Verba dispositionis sunt referenda ad illos, de quibus ipsa loquitur, non ad eos, de quibus mentio non habetur.*
44 *Et sunt intelligenda secundùm mentem proferentis etiam si opus esset ea impropriare.*
45 *Subrogatio importat privationem ejus, cui fit subrogatio, & omnes res, ac qualitates transferuntur in subrogatum.*
46 *Una determinatio plura respiciens determinabilia, omnia pariformiter determinat, maximè quando existunt in eadem dispositione.*
47 *In testamentis, & dispositionibus, voluntas stat pro ratione, nec de ista inquirendum est.*
48 *Observantia hæredis multùm facit pro interpretanda voluntate testatoris.*

DECISIO LXXXVIII.

Cum prænobilis, clarique nominis Matrona, Lucretia de Medices, inter alia ejus bona possideret vineam magnam positam extra Portam Septinianam, de illa juxta varias rerum humanarum, temporumque contingentias, in tribus testamentis, unoque codicillo per ipsam exaratis, semper diversimodè disposuit: in testamento quippè condito anno 1538. eam jure institutionis reliquit Ioanni Baptistæ, & Antonio Mariæ, postea S. R. E. Cardinali, ex Laurentio filio Nepotibus, omnibusque eorum filiis masculis nascituris, ac etiam filiis Alamanni, alterius ipsius testatricis filii, quos omnes hæredes quoque universales instituit: In codicillo verò facto anno 1543. illam legavit cl. me. Card. Ioanni filio, ad ipsam toto tempore vitæ usufructuandam, & post ejus obitum devolvendam ad antedictos Nepotes: filiosque in relato testamento hæredes universales institutos.

In secundo deinde testamento condito anno 1545. iterùm jure institutionis legavit vineam Card. Ioanni, necnon quasdam domunculas, certaque bona sita in Territoriis Aissii, & Prati, substituendo, quoad vineam R.P.D. Bernardum filium, equitem Hierosolymitanum, & Romæ Priorem, ac Alamannum ejusdem testatricis filios, & ex eis Nepotes, hæredes universales nominavit Nepotes, & filios ex illis nascituros, quos scripserat in primo testamento anni 1538.

In tertio demùm postremo testamento exposito anno 1553. cupiens testatrix (ut ipsa hisce verbis declaravit) *in rebus suis pro pace, & quiete successorum, ordini aliàs per eam dato addere, & adjungere, & deinde eisdem de novo dare*, sequentem scripsit dispositionem, quam veluti totius præsentis contentionis scopum, præcisis verbis referre juvat, & oportet, ibi -- *Brevitatis causa, inhærendo quibuscumque per eam quomodolibet, & quomodocumque hactenus factis, legatis, relictis, fideicommissis, donationibus hæredum institutionibus, substitutionibus, & mentis suæ declarationibus, ac voluntatibus, & ab illis non recedendo, nec illis derogando, in toto, seu in parte, imò potiùs eadem approbando, & confirmando, ac eadem de novo, quatenùs opus sit, faciendo*, EXCEPTO QUOD ILLIS ADDIDIT, ET SUBJUNXIT, *videlicet, quòd de novo potiori procautela, majorique omnium, quorum tunc interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, & mentis suæ declaratione, & satisfactione, in omnibus, & singulis ipsius Domina Testatricis rebus, & bonis, mobilibus, & immobilibus, juribusque & actionibus, ac creditis, ad eam quomodolibet spectantibus, & pertinentibus locorum sitis, & positis, tàm Romæ, quàm extra, quibuscumque vocabulis, & nominibus nuncupentur, in quibus ipsa Domina Testatrix hactenus instituit hæredem Illustrissimum Dominum Ioannem Episcopum Portuensem Cardinalem de Salviatis nuncupatum, ejus filium, & seu legatarium, prolegatarium, seu fideicommissarium, universalem, seu particularem, seu etiam usufructuarium, etiam datis sibi substitutis, aut quovis aliomodo fecit, illi in totum substituit, & subrogavit, ac in ejus locum, jus, actionem, & privilegium posuit R. D. Bernardum Episcopum Sancti Pauli, similiter ipsius Domina Testatricis filium legitimum, & naturalem, ipsosque Reverend. Dominum Cardinalem, & R. D. Episcopum ejus filios, de novo hæredes suos universales in dictis bonis instituit, & ore proprio fecit, & nominavit, eosque ad invicem substituit, ita quod præmorienti præfato Reverendissimo Domino Cardinali ipsi R. D. Bernardo Episcopo, in talem casum, & eventum voluit, jussit, & ordinavit, quod ex nunc, prout ex tunc, idem R. D. Bernardus Episcopus ejus filius sit, & esse censeatur ipse Reverend. Domino Cardinali subrogatus universalisque ejus successor, & hæres in quibuscumque rebus, & bonis ipsius D. Testatricis, in quibus ipsum Reverend. Dominum Cardinalem quomodocumque, & qualitercumque hactenus instituit, & e converso.*

Defuncto Cardinali Ioanne, Bernardus ex post & ipse ad Cardinalatum evectus, successit in dicta Vinea, moriensque scripsit hæredes Alamannum Fratrem, & Jacobum filium, eosque rogavit suam hæreditatem restituere suis filiis, & descendentibus masculis in infinitum, & virtute dispositionis hujusmodi, post gradualem successionem Alamanni, Jacobi, Laurentii, & Jacobi Junioris, vinea à Magdalena Strozzia, Matre Iacobi Junioris, concessa in emphyteusim sub annuo canone, devenit ad Ducem Franciscum Mariam, qui in omnibus suis bonis instituit hæredem Antonium Mariam filium, cum substitutione illius filiorum, ac descendentium masculorum in infinitum, servato ordine primogenituræ institutæ per Cardin. Antonium Mariam Salviatum, quam in omnibus, & per omnia haberi voluit pro repetita in suo testamento, citrà quam in ea parte, in qua tribuitur facultas ultimo vocato eligendi primogenitum, etiam extraneum jubendo, ut eligeretur unus familiæ, & congnominis de Salviatis.

Post obitum Ducis Francisci Mariæ successit in hæreditate Card. Bernardi Dux Antonius Maria, qui nuper è vivis ereptus sine filiis masculis, hæredem instituit unicam ejus filiam infantem, D. Catharinam Mariam Zeffirinam, & in successorem primogenituræ dicti Card. Antonii Mariæ, omniumque suarum appendicium, nominavit D. Marchionem Antonium Salviatum, hodie Ducem Antonium Mariam Salviatum, inter quem, & D. Ducissam Mariam Lucretiam Rospigliosam Matrem dictæ Dominæ infan-

infantis, cum extrajudiciale exortum esset discrimen super pertinentia quarumdam Tabularum pictarum, Gemmarumque, de quibus particulariter disposuerat Dux Jabus Salviatus, ac etiam super canonibus, qui retrahuntur ex vinea proveniente à præfata Matrona Lucretia de Medices, utrumque dubium de communi partium consensu, mediante amicabili compromisso, subjectum fuit hujus Sac. Tribunalis de finitioni; quamobrem excusso, resolutoque primo dubio super Tabulis pictis, & Gemmis, proposui sub die 2. Junii elapsi anni alterum concernens pertinentiam canonum, & nulla capta fuit resolutio obvotorum scissuram; repropositò verò in hodierna audientia, prodiit responsum, *Constare de bono jure D. Ducissæ, nomine D. Catharina Mariæ Zeffirinæ filiæ.*

Nam in postremo testamento exposito per Lucretiam Medices anno 1553. in omnibus bonis; in quibus institutus fuerat hæres particularis Cardinalis Joannes de Salviatis (inter quæ bona aderat vinea controversa, postea sub annuo canone in emphyteusim concessa) fuit quoque institutus hæres Cardinalis Bernardus, reciproca inter ipsos tantùm ordinata substitutione: Cum itaque per prædecessum Cardinalis Joannis, vinea pervenerit ad Cardinalem Bernardum, qui omnia ejus bona supposuerat Fideicommisso favore. Alamanni, suorumque descendentium masculorum, indè sequitur, quòd sicuti absque ullo discrimine Domina Catharina Maria Zeffirina, ob defectam lineam masculinam Alamanni in bon. me. Duce Antonio Maria illius Patre, attento ejus obitu, successerat in hæreditate dicti Cardinalis Bernardi, ita indubitati juris est, bonum jus eidem assistere ad assequendos controversos canones reservatos super vinea, & situ, liberè ad hæreditatem dicti Cardinalis Bernardi spectante, Cravett. *cons.9. nu.*10. Rot. *dec.* 10. *par.*4. *divers.& dec.*63. *num.*25. cor. Coccino.

Nec obstat, quòd sæpè dicta Lucretia de Medices in antecedenti testamento anni 1545. Vineam controversam legaverit Cardinali Joanni, eique substituerit Bernardum, & Alamannum ejusdem testatricis filios, & ex eis nepotes, quæ substitutio cùm in sequenti testamento anni 1553. non legatur expresè revocata, censeri debeat repetita; eòque magis, quia testatrix in hoc ultimo testamento confirmaverat omnes substitutiones, omniaque fideicommissa in antecedentibus dispositionibus facta, ut hinc proindè cum Bernardo substituti fuerint Alamannus, & filii, vinea recenseri nequeat inter bona hæreditaria Card. Bernardi, sed devoluta ad Ducem Franciscum Mariam ex Alamanno descendentem, comprehensa intelligatur in ejusdem Ducis Francisci Mariæ hæreditate, ad quam uti incorporatam Primogenituræ Cardinalis Antonii Mariæ, est vocatus modernus Dux Antonius Maria Salviatus.

Quandoquidem diligenter per Dominos libratis omnibus hinc indè subtiliter, & effusò calamo, tam in jure, quàm in facto deductis super hoc articulo repetitionis fideicommissi, à quo totum causæ momentum pendebat, conclusum fuit, tam regulas juris, quàm verba ultimi testamenti anni 1553. & voluntatem testatricis, in unum conspirare ad exclusionem repetitionis; stabilis namque & immota est conclusio, quòd si res priùs legata Titio sub conditione, vel cum onere fideicommissi, posteà relinquatur purè eidem Titio, conditio, & fideicommissum appositum primo relicto, censetur in secundo adempta, tametsi expressa non adesset ademptio, text. *sunt literales*
2 *in l. tutor datus* 8. *ff. de testament. tutel.* ubi si primo loco tutor datus est purè, & deindè sub conditione, talis tutoris nominatio efficitur conditionalis, ibi: *Titius cum poterit tutor esto, Titius si in Asiam venerit tutor esto, & Julianus lib.* 20. *ff. rectè scripsit novissimam scripturam esse attendendam, & in l. si tibi rem certam* 28. *ff. de adim. leg.* ubi si res certa alicui relicta sit cum onere fideicommissi, & iterùm si eadem res eidem legata fuerit simpliciter, illa debetur absque onere fideicommissi, ibi: *Si tibi rem certam legavero, & rogavero te, ut eam Titio restitueres, deindè eandem rem tibi fideicommisero, nec rogavero te, ut aliis eam præstares, quæritur, an in tua potestate sit ex causa fideicommissi eligere, ut fideicommissum non præstes? & magis posteriorem scripturam testamenti placuit spectari, & in l. non ad ea* 88. *ff. de condit. & demonstr.* ubi quòd si primò purè, deindè sub conditione relictum est, valet
3 posterius legatum; & ita econtrà, si prius sub conditione relictum est, & deindè purè, relictum remanet purum, ibi: *Itaque quod hæres purè dare jussus est, quodve purè legatum est, cum id ex intervallo sub conditione legatum est, posterius valet: si prius sub conditione, deindè purè legatum est, præsens debetur:* Undè in jure inconcussa est propositio, quòd in iis, quæ traduntur jure legati, ultima scri- 4
ptura venit attendenda, ut præter textus supra citatos, ita in genere statuitur *in l. si mihi, & tibi* 12. *§. in legatis, ff. de leg.* 1. ibi: *In legatis novissima valent, quia mutari causa præcedentis legati, vel die, vel conditione, vel in totum ademptione potest, & in l. sub diversis* 50. *ff. de condit. & demonstr. l. quod traditum* 86. *ff. eodem*, ibi: *Quod traditum est in legatis novissimam, in hereditatibus levissimam conditionem esse spectandam*: Ad discrimen ejus, quod statuitur in institutionibus, in quibus semper attenditur prima scriptura, ad text. *in l. si testa-* 5
lum 27. *de hæred. instit.* ibi. *Sed si te hæredem instituero, & deindè sub conditione te eumdem instituam, nihil valere sequentem institutionem, quia prior satis plena fuisset*: ut distinguendo inter legata, & institutiones, & casum hujus text *à dicta l. non ad ea*, & concordantibus tradit glosl. ibi, *sub verbo sequentem*, & clariùs Castrens. *in dicta l. quod traditum, ff. de condit. & demonstr.* ubi reddit rationem, quia institutiones sunt favorabiliores legatis.

Quamobrem cum in casu præsenti vinea controversa in prima dispositione Lucretiæ legata fuerit Card. Joanni, cum substitutione Card. Bernardi, Alamanni, & ex eis nepotum, & in posteriori dispositione relicta fuerit eidem Card. Joanni, & Bernardo, instituta tantùm inter ipsos reciproca, omissa substitutione Alamanni, & filiorum, præordinata in antecedenti testamento, talis innominata substitutio adempta, & revocata præsumitur, quamvis ademptio non fuerit specificata, & expressa; hujusmodi enim substitutionis omissio præsefert illius ademptionem, quæ du- 6
bium non est, quin fieri possit tacitè, & ex conjecturata mente testatoris, ut erat casus jurium supra expressorum, & generaliter statuit text. *in l. si quis* 3. *ff. de adim. leg.* ibi: *Non solùm autem legata, sed & fideicommissa adimi possunt nuda voluntate, seu tacita*, ut explicat glosl. ibi *verbo nuda*, & tradit etiam alia glosl. *in leg. contra de test. verbo omnia*, Card. Mantic. *de conjectur. ult. vol. lib.* 12. *tit* 1. *sub num.* 36.

Nec dicatur, quòd immutatio voluntatis testatoris in casu *l. si tibi, ff. de adim. leg.* & *l. non ad ea, ff. de condit. & demonstrat.* non deducatur, ex quo in secunda scriptura sit omissa repetitio conditionis, seu fideicommissi appositorum in primo; sed quia cum in secunda scriptura relictum fuerit legatum eidem personæ, cui relictum erat in prima, secunda remaneret inutilis, & frustratoria, quatenùs non contineret ademptionem fideicommissi, & conditionis, quæ in illa non leguntur expresè repetita, ut docuit Bart. *in l. si tibi, & in l. alumna, ff. de adim. & transfer. legat. & in l. in repetendis de legat.* 3. aliàs non possent reduci ad concordiam præfati textus cum aliis *in leg. Cajo, ff. de alim. & cib. legat. & in leg. legatum sub condit. ff. de condit. & demonst.* firmantibus, legatum translatum de uno in alterum, censeri translatum cum suo onere, quantumvis non exprimatur. Proindeque cum in casu, de quo agitur, vinea in prima dispositione fuerit tota relicta Cardinali Joanni, & in secunda legata sit Cardinali Bernardo fratri hæc secunda scriptura, utpotè inductiva novæ dispositionis favore Bernardi, non remanebit frustratoria, sed multùm operativa, itaut censura prædictorum text. *in l. si tibi, & in l. non ad ea*, efficiatur extranea à casu præsenti, ut in specie tradunt Dec. *cons.*189. *nu.*8. Natta *cons.*476. *num.*13. § *Non obstat igitur text. in l. non ad ea tom.* 2.

Etenim potissima ratio *l. si tibi, & l. non ad ea*, illa est, quia per secundam voluntatem puram censetur testatorem recessisse ab antecedenti conditionata, seu onerosa, ut clarè colligitur ex verbis *l. si tibi*, ibi, *& magis posteriorem scripturam placuit spectari*, id est posteriorem formam, utpotè à priori diversam. Et clariùs idipsum desumitur *ex l. non ad ea*, & signanter ex illa superaddita circumstantia, quòd posterior dispositio, & scriptura sit attendenda, quoties ista sit facta per intervallum, & non incontinenti, quia scilicet quando ex intervallo secundum legatum diversimodè concipitur à primo, arguitur mutatio voluntatis, & correctio; sed ubi incontinenti legitur talis diversitas, non præsumitur correctio, ut rectè explicat glosl. ibi *in verbo præsens*: *Item qua est ratio incontinenti, vel ex intervallo respondet, quia non est verisimile, ut corrigat, quod incontinenti fecerat, & facit*, ergo præcipua ratio textus stat in eo, quòd ex diversitate formæ primi legati à secundo, præsumitur illius correctio, ut meliùs explicat Castrens. *in l. quod traditum* 86. *de condit. & demonstr.* ibi: *Ita nota in vers. quod traditum* 86. *de condit. & demonstr.* ibi: *Ita nota in vers. quod si purè ad declarationem, §. in legatis eodem, idest in legatis novissimam conditionem esse spectandam, ut tunc inspiciatur ultima forma, vel scriptura, quando ex intervallo fiunt, secùs si continenti, vel continuata scriptura, quia non censetur una prior*

quàm alia, & sic non censetur recessum à precedenti; & in puncto etiam ponderat Cæphal. *cons.*68. *n.*5. *lib.* 1.

Quapropter licèt ratio, quam tradunt Bartol. aliique scribentes *in l. si tibi*, ne scilicet legatum reddatur inutile, optimè quoque adaptari valeat, quando esset verum, quòd secundum legatum cum eodem onere redderetur inu-
11 tile; exinde tamen non sequitur, quod sublata hac ratione, cesset dispositio dicti textus, qui fundatus est in alia principali ratione supra expensa, quòd nempè in legatis attendenda est ultima scriptura, idest ultima forma, qua concepta leguntur, *l. si non lex, ff. de hæred. instit. l. tutor. petitus, §. Qua tutoribus ff. de excus. tutor.* Tiraquell. *cessante causa, lim.* 22. & egregiè in puncto notavit Sfortia Odd. *cons.*98. *n.*17. *lib.* 1.

Nec turbant text. *in l. Cajo, ff. de adim. leg. & l. legatum sub condi-*
tione, firmantes, quòd legatum translatum de una perso-
12 na ad alteram, censeatur translatum cum onere, quia ratio horum text. non stat in eo, quòd secundum legatum non est frustatorium, sed operativum, dum in ipso datur uni id, quod priùs alteri datum erat; sed verior illiorum ratio posita est in eo, quòd quando legatum de uno transfertur in alium, mutatur tantùm persona legatarii, & non identitas legati, quod sicuti idem in sua essentia, & substantia remanet, ita remanere debet onus illi injunctum, dictante ulteriùs præsumptione, quod quemadmodum gravatus fuit primus legatarius, ita gravatus quoque fuerit secundus, in illius locum subrogatus, quæ præsumptio cessat, ubi non mutatur persona legatarii; nam tunc, cum dari non possit dicta subrogatio, & eadem res in secunda dispositione relinquatur eidem personæ simpliciter, & cum diversa forma, dicitur per secundam voluntatem recedi à prima, ut egregiè explicat Cæphal. *cons.* 67. *n.* 16. Odd. *d. consil.* 98. *n.* 14. & 15. Non obficientibus adductis per Decium *in d. cons.* 189. *n.* 13. & Natt. *in d. cons.* 476. *n.* 14 quia hi doctores non considera-
13 runt, quòd ratio text. *in l. si tibi, & in l. non ad ea*, non sit illa tantùm evitandæ superfluitatis, sed alia mutationis voluntatis, ductę ex diverso modo, & forma disponendi primi, & secundi legati; unde standum est Cæphalo scribenti contra Natt. qui solidam adduxit rationem, fundatam in litera textus, quam etiam, & meliùs observavit Odd. *cons.*98. *n.* 13. *concludens sub n.*36. quòd Natta non ita faciliter respondere potuisset deductis per Cæphal. *in d. cons.*67. in quo vindicat à contrariis suum antecedens responsum 66.

Cœterùm omnis arceretur difficultas ex illa alia ponderatione, quòd ubi, prout in casu, eadem res priùs relicta uni, posteà pro mediertate iterùm illi relinquitur, & pro alia transfertur in alterum, semper verificabitur ratio supefluitatis quoad illam medietatem, quæ primo legatario denuò relinquitur; nam ad transferendam medietatem legati de uno in alterum, opus non est, ut nova fiat dispositio, per quam primo legatario iterùm legetur medietas; sed satis
14 est in alium transferre medietatem relicti, in totum priùs diversæ personæ collati; sicque ne istiusmodi nova datio medietatis sit superflua, facta censetur ad liberandam hanc medietatem ab onere antea injuncto, ad terminos tex. & rationis Bart. *in l. si tibi; ff. de adim legat.*

Posito autem, quòd onus fideicommissi censetur ademptum à medietate legati, quæ de uno in eumdem transfertur, censetur quoque ademptum ab altera medietate diversæ personæ relicta, quia absurdum esset, quòd unum, & idem legatum difformi jure censeatur, & reguletur, idest, quòd
15 ex una parte dicatur ademptum, & in altera repetitum fideicommissum, ut in specie ex regula text. *in l. qui ades, ff. de usufcap.* observant Cæphal. *cons.*67. *n.*12. & meliùs *n.* 20. 21. 22. & 23. *cons.*68. *n.* 6. *lib.* 1. Sfort. Odd. *d. cons.* 98. *n.* 18. Menoch. *cons.*624. *n.*1. & *cons.*1020. n.17. cui alteri solido fundamento nihil respondent Decius, & Natta.

Atque his consequenter non adversatur text *in l. Alumna sag, §. Qui filios, ff. de adim. & transf. leg.* disponens quòd quando agitur de dispositis in uno, & eodem testamento,
16 seu in testamento, & Codicillis, quod est idem, cum Codicilli sint pars testamenti, testator non censetur mutasse suam voluntatem, *l. secund. in princ. ff. de jure Codicillorum*, nisi in iis tantùm rebus, quas reformasset; undè arguebatur, quòd cum Lucretia de Medices confirmasset omnia disposita in priori testamento, ab iis tantùm recessisse dicitur, quæ expresè reformavit, nempè quoad translationem medietatis vineæ factam in Cardinalem Bernardum, & non quoad substitutionem Alamanni, & filiorum non reformatam; nam censura dicti text. mirificè applicatur huic casui, quia testatrix legatum vineæ expresè reformavit, dum ubi priùs illam legaverat Cardinali Joanni cum onere fideicommissi favore Alamanni, & filiorum, posteà reliquit eidem Cardinali, & Bernardo simpliciter sine onere dicti fideicommissi, quæ forma posterioris scripturæ, utpotè diversa à prima, præsefert ejusdem primæ ademptionem, ut supra probatum est ex literali textu *in l. si tibi de adim. l.* & in specie dixit Cæphal. *d. cons.*68. *n.* 8. & 15. & meliùs *nu. fin.* 17
Soccin. Jun. *cons.* 69. *n.* 30. *lib.* 4. Menoch. *d. cons.* 1020. *n.* 24. *& ferè per tot.*

Hactenùs discussa procedunt in terminis, in quibus agebatur de legato priùs sub conditione, & posteà purè relicto in uno, & eodem testamento, vel conditionatè in testamento, & purè in Codicillis, in qua facti specie loquuntur omnia jura superiùs laudata, & à contrariis vindicata; sed res nullam admittit dubitationem, quando, prout in casu præsenti, primum legatum conditionale, seu onerosum, adjectum est in primo testamento, & secundum purum relinquitur in secundo; nam in hac posteriori hypothesi incontrovertibilis est propositio, quòd fideicommissum appositum in primo testamento, dicitur revocatum, si in secundo nulla sit de eo facta mentio, sive res fideicommisso supposita relinquatur eidem, sive diversæ personæ, per text. Clar. *in l Statius Florus ff. de jur. fisc.* ubi quod fideicommissum non præstatur ex primo testamento per secundum revocato, nec ex secundo, quia in eo relictum non fuit, & *in leg. si jure testam. de leg.* 3. ubi si restator in primo testamento reliquit fideicommissum, si postea faciat secun- 18
dum testamentum nullum, mentione non facta de fideicommisso in primo relicto, fideicommissum debetur ex primo testamento, cum voluntas non præsumatur mutata, nisi per aliud testamentum validum; si verò secundum testamentum fuit validum, fideicommissum non debetur, cum in eo testamento non sit adscriptum, nec præsumatur repetitum, & tenent Bart. *in dict. l. Statius Florus*, n. 3. Castrens. *in l. legatum sub condit. vers. Et intelligę, ff. de condit. & demonstr.* Ruin. *cons.*93. *n.*14. & *cons.*144. *n.*17. *lib.* 2. Curt. Jun. *cons.*163. *num.* 14. Card. Mantic. *de conjectur. ult. vol. lib.* 12. *tit.* 1. *n.* 36. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præs.*176. cum aliis penès Fusar. *de substit. q.* 451. *n.* 1. Camarell. *de legat lib.* 7. *q.*25. Rot. coram Merlino *dec.* 247. *n.*1. & anteà coram Penia *decis.* 549. *n.* 2.

Et ratio est, quia novum testamentum suaptè natura revocat, & irritat primum cum omnibus in eo contentis; §. 19
Posteriore instit. quib. mod. testam. infirm. l. jure, ff. de legat. 2. *l. si quis priore, ff. ad Senat. Consult. Trebell.* Quapropter totum id, quod in secundo testamento non legitur oculis corporeis repetitum, censetur revocatum ex supradictis, & in specie Menoch. *d. cons.*1020. *n.*3. Quod adeò verum est, ut satis fundatam dicatur habere suam intentionem in jure, adducens pro se posterius testamentum, in quo fideicommissum expresè adjectum non apparet, Dec. *cons.*475. *n.*1. *et seq.* Bolognet. *cons.* 15. *n.*25. Surd. *cons.*446. *n.*4. Rot. coram Seraph. *dec.*123. *n.*1. & 2. coram Penia *dec.*549. *n.*2. & 3. juxta Venetam impressionem. 20

Absque eò, quod in hoc casu intrent difficultates ex dispositis *in l. Cajo de alim. & cib. legat. & l. legatum sub conditione, ff. de condit. & demonstr.* non solùm quia ibi agebatur de legato translato de uno in alterum juxta superiùs dicta, sed etiam quia ibidem tractabatur de translatione legati facta in Codicillis, in quibus terminis, quia per Codicillum non revocatur testamentum, onus, & conditio adiecta in legato facto in testamento, faciliùs censeri debet repetitum in illius simplici translatione facta in Codicillis; sed quando translatio fit per testamentum, nulla allegari potest lex dicens, quòd fideicommissum appositum in primo testamento censeatur repetitum In secundo, nisi expresè dicatur, ut notavit glosl. *in l. alumnę verbo in tota, ff. de adim. leg.* & 21
benè Castren. *in d. l. legatum sub conditione de condit. & demonstr.* ubi sic ait: *intelligę hanc legem procedere, quando in eodem testam. vel in Codicillis facta est translatio, secùs quando in alio testamento, per quod revocatur primum; quia tunc non subintelligitur eadem conditio*: & in hoc conveniunt omnes Doctores, & ipsimet, qui consulendo scripserunt pro repetitione, & signanter Natt. *cons.*476. *nu* 16. Peregrin *cons.*478. *nu.* 3. Mans. *consult.* 282. *n.* 18. & *consult.* 545. *num.* 2. Palm. Nep. *ollog.* 289. *num.* 43. & distinguit Rot. *dec.* 222. *n.* 8. 9. & 10. *p.* 18. *recent.*

Imperturbabile autem visum est, quod dispositio Lucretiæ de Medices anni 1553. sit dispositio testamentaria, & non Codicillaris: Tum quia testatrix literis rotundis exposuit velle condere testamentum nuncupativum, ut ex verbis in principio, ibi: *Suum testamentum in his scriptis, quod nuncupativum dicitur, omni, quo potuit meliori modo, via, jure,* 22

enusa, & forma, & ex aliis verbis finalibus, ibi: *Hanc siquidem d. D. testatrix asseruit esse huius ultimam voluntatem, & ultimum suum testamentum, quam, & quod valere, & tenere voluit jure testamenti, & si jure testamenti non valeret &c. valere jure Codicillorum*; talis enim nominis, & essentiæ dijudicanda est dispositio, qualis fuit nuncupata, & denominata à conficientibus: Tum quia in actu illius confectionis fuerunt adhibitæ omnes solemnitates, & signanter septennarius numerus testium, qui de jure adhiberi debet in
23 testamentis, juxta disposita *in l. hac consultissima, C. de testam.* quas solemnitates non exigunt leges in Codicillis, cum ista sint intestatorum, vel testatorum voluntates quædam nudæ, nullis subnixæ solemnitatibus juris, ut definiuntur per Cujacc. *in paratit. in lib. 6. C. tit. 36. de Codicillis fol. 112. juxta impressionem Lugdunen.* Tum demùm quia testatrix differentivè loquuta fuit de testamento, & Codicillis, constituendo differentiam inter illos, prout legitur in d. clausu-
24 la Codicillari, cuius appositio pandit quoque evidenter, illius mentem fuisse testandi, & non Codicillandi, ut hęc omnia referendo argumenta formiter re discussa concludit Menoch. *cons.* 1020. *à n.* 1. *ad n.* 17. *& de præsumpt. lib.* 4. *præsump.* 3. *n.* 3. & ante ipsum Corn. *cons.* 324. *n.* 2. *lib.* 1. Alciat. *resp.* 525. secundùm impressionem antiquam Mediolanen. & benè etiam Joan. And. r. ad Speculat. *de instrum. edit. §. Compendiosè n* 17. *sub verbo Codicillum*.

Minimè subsistente, quod præfatum testamentum non contineat institutionem hæredis universalis, indèque sustineri nequeat jure testamenti, quia ut ex verbis supra transcriptis legitur, optimè in illo continetur hæredum institutio per viam confirmationis illius, quæ facta fuerat in
25 antecedenti testamento, neque dubium est, quin institutio hæredis fieri valeat genericè per cofirmationem ejus exaratæ in antecedenti testamento, *l. assetoto, ff. de hæred. instituen.* Corn. *d. cons.* 324. *n.* 3. *lib.* 1 Ruin. *cons.* 2. *n.* 4. *lib.* 2. Rota Januen. penès Palm. *dec.* 100. *n.* 16. Torr. *de primogenit. Ital. par.* 2. *quæst.* 8. *nu.* 12.

Prout nec urget, quòd in hoc eodem secundo testamento deficiat clausula *cassans primum testamentum*, quæ adjici solet in omnibus posterioribus testamentis, quia in casu præsenti eatenùs non fuit apposita hujusmodi clausula, quatenùs testatrix noluit recedere ab omnibus dispositis in antecedenti testamento, sed plura confirmavit; non ideò tamen concludi valet, quòd noluerit per ultimam ejus di-
26 spositionem, licèt in parte antecedentis confirmatoriam, condere testamentum, quia in eis partibus, in quibus confirmatum expresè non legitur primum testamentum, per secundum, etiam sine dicta clausula revocatoria, ipso jure cassatum, & ruptum censetur, Dec. *cons.* 512. *sub nu.* 1. Capyc. Galeot. *cons.* 38. *sub n.* 53. *circa finem lib.* 1. ubi quòd secundum testamentum dicitur canon latæ sententiæ, & denotat ipso jure revocationem primi, etiamsi non adessent cautiones notariorum illud expresè revocantes.

Firmato, quòd secunda dispositio Lucretiæ sit testamentaria, & non Codicillaris, firma remanet propositio ducta
27 *ex l. Statius Florus de jur. fisc. & l. si jure, ff. de leg.* 3. quòd fideicommissum appositum in primo testamento, revocatum censetur in secundo, in quo nulla de illo fit mentio, licèt nihil dicatur de revocatione: Quin officiat, quòd censura huiusmodi legum procedat, quoties in secundo testamento nulla sit facta approbatio contentorum in primo, secùs verò ubi disposita in primo approbentur, & confirmentur in secundo, prout in casu, in quo Lucretia testatrix approbavit omnes institutiones, substitutiones, & fideicommissa adjectâ in antecedentibus dispositionibus, in quibus terminis, licèt primum testamentum rumpatur,
28 tamen vel substineri debet jure Codicilli, ut statuit text. *in l. posthumus, §. Si Paganus, ff. de iniust. & rupt. testam.* velin omni casu, in secundo primi confirmatorio, censentur repetita omnia disposita in primo, ex text. *in l. si quit priore, ff. ad Senat. Consult. Trebell. §. Sed & si quis, instit. quib. mod. testam. infirm.* & tradunt Cæphal. *cons.* 53 & 74. *per tot.* Fusar. *de substit. q.* 451. *n.* 5. Surd. *dec.* 38. *n.* 17. *& alii*.

Nam d. regulæ limita tio obtinet locum, quoties confirmatio facta in secundo testamento esset ita generalis, ut nihil exciperet; secùs verò quoties ab ea exceptuata forent aliqua bona, super quibus nova ex integro facta sit dispositio, prioris testamenti reformatoria, quia tunc quoad rem exceptuatam, & dispositionem reformatam, servari debet secundum testamentum eo modo, quo scriptum est,
29 nihil curato de dispositis in primo, ut expresè disponitur *in d. l. si quis pripre*: ibi: *Et hoc ita intelligendum est; si non aliquid specialiter contrarium in secundo testamento fuerit scriptum*, idest, ut benè explicat gloss. *in efformatione casus, nisi* (sunt illius verba) *à generali confirmatione primi testamenti, quod fecerat in secundo, excepit in eodem secundo aliquam rem contentam, vel relictam in primo testamento; nam tunc illa res non debet resti. tui institutis in primo testamento*; & in verbo *specialiter*, ibi, *idest à generali confirmatione excepit aliquam rem contentam, vel relictam in primo testamento, vel si quid reliquit in primo, ademit, in secundo, & postea generaliter confirmavit primum; nam non non pertinet generalis confirmatio ad specialiter ademptum, & concordat text. in leg. cohæredi, §. qui pactum, ff. de vulg.* ubi quòd generalis confirmatio trahi non potest ad personam, & legata, super quibus facta fuit specialis dispositio.

Hicque præcisè, & adamussim est casus præsentis controversiæ; licèt enim Lucretia in prima parte sui testamenti generaliter confirmaverit, & approbaverit omnes institutiones, substitutiones, legata, & fideicommissa usque tunc facta in prioribus ejus dispositionibus; in secunda tamen parte testamenti ab hac generali confirmatione exceptuavit omnia bona relicta Cardinali Joanni, inter quæ continebatur vinea controversa, de quibus quidem bonis aliam novam, & particularem declaravit facere velle dispositionem, prout de facto fecit, instituendo de novo in eisdem, non solùm Cardinalem Joannem, uti in priori testamento disposuerat, sed Cardinalem Joannem, & Bernardum fratres simul, ipsos ad invicem substituendo citra repetitionem substitutionis factæ favore Alamanni, & filiorum; ista proindè substitutio tanquam omissa, iterùmque non demandata, præsumitur adempta; nàm sicuti si Lucretia non confirmasset contenta in priori testamento, irrefragabilis esset talis ademptio, ex regulis superiùs firmatis, idem dicendùm est in casu, quo à dicta generali confirmatione contentorum in testamento, exceptuata, & abstracta sunt disposita circa vineam, nova de eadem facta dispositione, quia exceptio, licèt firmet regulam, ab eo tamen excludit casus exceptos, & idem est excipere aliquid à generali confirmatione, ac non confirmare quoad exceptum, *l. nam quod liquidè, §. penult. ff. pen. legat.* Dec. *in l. 1. n.* 21. *de reg. jur.* Menoch. *cons.* 1020. *n.* 33. Bellon. *de jur. accr. cap.* 10. *qu* 17. *n.* 17.

Qua stante literali exceptuatione, majori fortitudine applicatur regula superiùs firmata ex text. *in leg. si tibi, ff. de adim. leg.* si enim in eodem testamento, vel in eisdem Codicillis, in quibus minùs præsumitur mutatio voluntatis testatoris, & Codicillantis, tamquam in actis incontinenti facta, præsumitur mutata voluntas, attenta diversitate scripturæ, seu formæ primi legati, à scriptura, & forma secundi; quantò magis mutatio voluntatis præsumi debet quando agitur de legato uno modo facto in primo testamento, ac altero, & diverso modo concepto in secundo, longè post confecto, quodque juxta sui essentiam importat destructionem, & irritationem primi; ut in specie arguit Menoch. *cons.* 1020. *n.* 51.

Nec turbat, quòd à generali confirmatione contentorum in primo testamento non excipiatur tota dispositio facta in priori testamento, circa bona relicta Card. Joanni, & sic circa vineam; sed dicta exceptuatio fuerit limitata ad ea, quæ inferiùs addita, & subjuncta fuerint, ibi: *Excepto quòd illis addidit, & subjunxit, videlicet, &c.* ideòque cum in parte exceptuativa fuerit tantùm reformata institutio Cardinalis Joannis, dando eidem cohæredem, seu collegatarium Bernardum fratrem, nihil addendo circa substitutionem Alamanni, & filiorum, ista proindè censeri, & dici debeat præservata sub generali confirmatione antea facta.

Singillatim namque, & quoad omnes ejus partes expensa dicta dispositione exceptuativa, apertissimè deprehenditur, testatricem, circa bona relicta Cardinali Joanni, nullam vel minimam habuisse relationem ad dispositiones de illis in antecedenti testamento exaratas, sed aliam ex integro independentem, & omninò novam exposuisse scripturam citra approbationem antecedentium dispositionum, imò cum tacita, & subintellecta revocatione substitutionis Alamanni; quòd profectò suadetur, primò, ex quo testatrix in huiusmodi bonis de novo instituit Cardinalem Joannem, & Bernardum, quando aliàs poterat disponere per viam confirmationis quoad medietatem datam Cardinali Joanni, dicendo, confirmo legatum factùm Joanni quòad medietatem dictorum bonorum tantùm, & revoco quoad aliam medietatem, in qua instituo Bernardum; cum ergo circa dicta bona testatrix non disposuerit per viam confirmationis, sed per viam novæ dispositionis, & quidem testamentariæ, factæ solùm, & ad unicum finem exceptuandi ab antecedenti dispositione dicta bona, reformando antecedenter disposita, indè sequitur, quòd dispositiones omissæ habitæ fuerint pro non volitis, & revocatis, ad textus supra expensos *in l. Si tibi ff. de adim. leg. & in l. Statius Florus, ff. de jur. fisc. cum concord.* absque eo quod intellexerit, omissum reservare sub antecedenti confirmatione generali, quæ juxtà suam indolem non comprehendit, sed excludit speciem, de qua nova, & peculiaris in eadem scriptura facta est dispositio, *ex l. doli causa, ff. de verb. oblig.* & ex optimo textu *in d. l. cohæredi, §. Qui pactum ff. de vulgar.* ubi quòd substitutio generalis, & breviloqua non referfur ad eos, quibus specialiter est provisum, & faciunt deducta per Rot. coram san. me. Alex VIII. *dec.* 73. *sub n.* 20. *& dec.* 207. *n.* 35. *& 36. part.* 9. *tom.* 1. *rec.* ubi quòd confirmatio nihil influit in relictum peculiariter in Codicillis factum.

Secundò, & fortiùs, quia sæpè dicta testatrix, numerando bona, in quibus instituerat hęredem Cardinalem Joannem, & in quibus illi cohęredem Bernardum fratrem adjungere deliberaverat, expressit generaliter etiam illa, in quibus eidem Joanni dederat substitutos, ibi: *In omnibus rebus, & bonis &c. in quibus testatrix instituit hæredem &c. Illustrissimum Joannem &c. etiam sibi datis substitutis &c.* quæ verba sic juxta eorum obvium sensum explicari debent, scilicet quòd etiam in vinea portę Septinianæ, in qua institutus fuit Joannes, eique substitutus Bernardus, Alamannus, & ex eis nepotes, testatrix instituit, & substituit Bernardum, cum prædicta dictio *etiam* stet ampliativè, & extensive ad exceptuandam à generali antecedenti confirmatione omnia, & quæcumque bona relicta Cardinali Joanni juxta ponderata per Cravett. *in cons.* 294 *n.* 5. *vers. dictum continuare*, Menoch. *cons.* 415. *n.* 5 Pacif. de Salv. *interd. inspect.* 3. *cap.* 5. *n.* 22. Urceol. *consult.* 79. *n.* 28. Ex hac autem commemoratione substitutionis factæ favore Alamanni in ventre dispositionis, in qua bona, ad quæ fuit ille substitutus, iterùm, & de novo relinquuntur novissimis institutis, irrefragabile promanat fundamentum ademptionis dictæ substitutionis, cum à primo legato semper censeatur recessum, si in secundo de primo expressa facta sit commemoratio, ad text. *expressum in dict. leg. non ad ea, ff. de condit. et demonstr.* ibi: *Nisi cum commemoratione superioris legati posterius scriptum fuerit, veluti Stichum, quem illi legavi, hæres meus ei, si illud factum erit, dato; tunc enim revocandi animo præsens legatum, & sub conditione dandi ita scripsisse videbitur*, & benè explicat hunc textum Castrens. *in l. quod traditum, ff. de cond. & demonstr. sub nu.* 5. Est etiam literalis text. *in l. Sicut, ff. de adim. legat.* ibi: *Quod Titio legavi, id Sejo do, lego, quæ res in personam Titii tacitam ademptionem continet* Menoch. *de præsumpt. præsumpt.* 173. *sub n.* 4. *& nu.* 6. Rot. *decis.* 119. *numer.* 2. *vers. quia*, coram Emerix Seniore.

Tertiò, quia in sæpè dicta parte exceptuativa admitur Cardinali Joanni medietas dictorum bonorum aliàs illi legatorum, eaque legatur Bernardo; cum itaque ex uno legato effecta fuerint duo legata, inde fit, quòd sicuti substantia primi legati immutata fuit, ita censetur revocatum onus illi priùs adjectum, Cæphal. *consil.* 67. *n.* 12. *& 23. §. Tenendo, et cons.* 68. *n.* 12. *et* 13. Menoch. *cons.* 67. *n.* 5.

Quartò ex quo inter Cardinalem Joannem, & Bernardum ordinata fuit reciproca; quando autem in secunda dispositione apponuntur novæ substitutiones; aliæ existentes in prima, & non repetitæ, præsumuntur revocatæ; non potest enim non præsumi recessus à substitutione antecedenter facta, dum apparet, quòd testatrix substituendi non immemor, eam, quam voluit novam, & diversam substitutionem apponere, de facto expressit, & apposuit, argumento text. *in dict. l. Alumna in princ. ff. de adim. & transfer. legat.* Alex. *cons* 66. *lib.* 3. Angel. *cons.* 294. *sub n.* 6. *& n.* 8. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 174. *n.* 4. Camarell. *de legat lib.* 8. *q.* 26. *n.* 5. *de conditione apposita in testamento*.

Quintò demùm, & efficacissimè, quia disposita circa institutionem, & substitutionem in primo testamento, repugnant, & contrariantur repetitioni, ac permanentiæ substitutionis Alamanni, & ex eis nepotum. Patet siquidem repugnantia ex eo, quia in primo testamento an. 1545. Alamannus fuit substitutus Cardinali Joanni, unà cum Bernardo; in secundo, ut diximus, Bernardus instituitur unà cum Joanne, & decedente Joanne, substituitur idem Bernardus; undè cum Alamannus non possit ampliùs succedere Joanni, quodque magis est, non possit illi succedere unà cum Bernardo, in aperto est, quòd fuit immutatus, non solùm ordo, sed etiam substantia ipsa substitutionis: ut do quidem, quia Alamannus non debebat succedere Joanni, ut in primo testamento, sed juxta sensum scribentium pro Duce debebat succedere Bernardo; substantia verò quia ex primo testamento debuisset succedere unà cum Bernardo, & sic pro medietate; hodiè verò juxta prętensionem Ducis, succederet in totum. Qua stante variatione, tam in substantia, quàm in modo, substitutio semper censetur revocata, & numquam prę sumi potest repetita, ut benè in terminis debilioribus ratiocinatur Cæphal. *cons.* 67. *n.* 16. *& n.* 23. *& 26. & cons.* 68. *cum seqq.* quem sequitur Menoch. *cons.* 624. *n.* 4. 5. *& 6.*

Et saue ignoratur, in quonam ex duobus testamentis Alamannus dici debeat vocatus; illius enim vocatio deprehendi nequit ex primo testamento, quia in illo Alamannus unà cum Bernardo substituitur Joanni, undè cum ex posteriori testamento Joanni successerit Bernardus illi reciprocè substitutus, & nullibi in primo testamento Alamannus sit substitutus Bernardo, certè vigore dicti primi testamenti Alamannus numquam poterat succedere Bernardo. Nec etiam vigore secundi, quia testatrix post institutos Joannem, & Bernardum illosque invicem substitutos, non fuit ulteriùs progressa, ideòque concludebant domini cum Sfort. Odd. *cons.* 98. *n.* 24. quòd cum Alamanno suffragari non potuerit substitutio ordinata in primo testamento, nec altera adiecta in secundo pro illius vocatione, oportet ex integro novam facere substitutionem, ut possit ex illa venire, quod esset maximum absurdum, ut benè etiam in puncto Cravett. *cons.* 80. *n.* 1. 2. *& 3. n.* 16. *& 17.* itaut in præsenti casu extranei maneant termini repetitionis, quæ semper intelligitur sine alteratione, & re in eodem statu permanente, ex benè firmatis per Rotam *dec.* 47. *n.* 2. *& n.* 3. *p.* 3. *rec.* ubi quòd plus esse non debet in termino referente, quàm in relato, aliàs non esset reperere, sed de novo inducere.

Nec relevare visus est casus figuratus, quòd scilicet in casu primi testamenti, si Bernardus prędecessisset Alamanno, iste in totum successisset Cardinali Joanni; undè eodem modo succedere deberet in totum Bernardo, instituto cum Cardinali Joanne, & illi substituto; sive quia ab eo, quod potetat contingere in casu, quo firmum remansisset dictum primum testamentum, non est arguen. ad id, quod statui debet in casu concreto secundi testamenti; sive quia in dicto casu figurato, Alamannus successisset in totum Joanni ob caducatam substitutionem Bernardi, quia in primo testamento fuerat Joanni substitutus, propterea habebat unde suam vocationem desumeret; in hypothesi autem stante dicto secundo testamento; cum evanuerit ejus substitutio facta in casu obitus Ioannis, ex quo Joanni fuit substitutus Bernardus, & respectu Bernardi nullam habeat substitutionem; ex qua possit succedere in casu obitus ejusdem, palam est, quòd casus figuratus remaneat inapplicabilis, & ideò non attendendus, & semper erit verùm, quòd hoc non esset repetere veterem substitutionem sed novam inducere, contra regulas juris, ut subdit Odd. *d. cons* 98. *n.* 24. *§. Quinimò*.

Nihilque penitùs urget, quòd in parte prooemiali declaravit testatrix condere dictum ultimum testamentum ad effectum addendi, & adiungendi ordini aliàs per eam dato; unde inferebatur, quod hic ordo additus, & de novo datus, ille fuerit, ut ibi ex priori testamento Alamannus succedere debuisset Cardin Joanni unà cum Bernardo in secundo substitutus fuerit Bernardo. Quoniam cum d. verba optimè referri valeant ad ordinem de novo datum quoad successionem Bernardi, ut scilicet, ubi in primo testamento sitit substitutus Cardinali Joanni, in secundo effectus fuit institutus, non sunt referenda ad Alamannum, de quo nullum minimum verbum legitur in secundo testamento, ut in simili respondit Rota super alio puncto jocalium, & tabularum pictarum in decisione 28. Junii 1706 *§.* 16. coram. Prout nihil facit, quòd de natura additionis fit aliquid de novo disponere, & non iam disposita revocare, quia in mente testatricis, interpretata ex eius usu loquendi, addere non solùm importabat adjungere per viam novæ dispositionis, sed etiam per viam ademptionis, & revocationis, dum addendo ademit Cardinali Joanni medietatem bonorum, quæ in primo testamento illi legaverat, illamque reliquit Cardinali Bernardo, sicque per dicta verba addidit, & subjunxit: intellexit dicere, subdidit, & de novo disposuit; id autem quod subditur, & de novo fit, æquè exequi potest, vel addendo, vel diminuendo, vel revocando, sive expresè, sive tacitè. Verba enim sunt intelli-

intelligenda secundùm mentem proferentis, etiam quatenùs opus esset ea impropriando, gloss. *in cap. Intelligentia, verbo ex causis, de verb. sign. leg. 10 ambiguis, ff. de re jud.* cum aliis congestis in dicta decisione super puncto jocalium, §. 12. coram me.

Ejusdemque irrelevantiæ apparuit ponderatio, quod cum testatrix subrogaverit in locum Cardinalis Joannis Bernardum, indè arguen. sit, quòd sicuti Cardinali Joanni in priori testamento dati sunt substituti dicti Alamannus, & filii, ita juxta naturam subrogatorum, Bernardus censeri debeat in secundo testamento cum onere restitutionis institutus; enim verò perlecto integro contextu, evidenter patuit, quod vere, & realiter Bernardus non subrogatur, sed in cohæredem cum Joanne instituitur, facta inter ipsos reciproca; undè quidquid dicitur de subrogatione, non stat ad designandum, quod Bernardus fuerit in totum loco alterius subrogatus, sed tantummodo ad demonstran. quod respectu qualitatis cohæredis, testatrix illum ponebat in locum Joannis; aliàs enim si in hoc casu proceden. esset cum sensu, quod simpliciter, ac totaliter remaneret subrogatus, esset etiam dicendum, quòd Joannes fuisset universaliter in secundo testamento exclusus, quod repugnat literæ dispositionis; subrogatio enim importat privationem ejus, cui sit subrogatio, ab omnibus re-
45 bus, & qualitatibus subrogatis, illasque transfert in subrogatum, ex collectis per Rot. *dec. 490. n. 2 part. 14.* & cor. Amat. Dunoz *dec. 495. n. 16. & seq. & dec. 74 n. 4 par. 18. recent.*

Fortiùs quia etiam Cardin. Joannes subrogatur loco Bernardi, ibi: *& è converso*; & tamen hujusmodi subrogatio Joannis in Bernardum non potest etiam referri ad substitutiones positas in primo testamento, quia Bernardus non fuit oneratus favore Alamanni; undè sit, quòd sicuti subrogatio Joannis in Bernardum non potest intelligi, nisi de substitutione Joannis ipsi Bernardo, quatenùs ille illi præ-decessisset; ita dicendum est de subrogatione Bernardi in locum Joannis, idest, quòd Bernardus fuerit substitutus
46 Joanni, cum una determinatio respiciens plura determinabilia, uniformiter determinet, maximè quando eadem determinabilia existunt in eadem dispositione, Aretin. *in l. coheredi col. 3. vers. sed responderi, ff. de vulg. & pupill.* Ruin. *cons. 117. lib. 2. n. 6.* & benè Cæphal. *cons. 67. n. 22. lib. 1.*

Nec minùs postremò pro suadenda repetitione confert consideratio, quòd in omnibus testamentis, & dispositionibus per Lucretiam exaratis, vinea controversa suppositа legatur fideicommisso favore Alamanni, & filiorum, itaut cum nulla assignari valeat causa, ob quam nova supervenire potuerit ademptio, ista non præsumatur: Etenim omissis aliis, voluntas hujus nobilissimæ matronæ numquam fuit stabilis, & constans in ratione, & modo disponendi de suis bonis, idque vel ex eo facilè colligitur, ex quo tria condidit testamenta, duosque Codicillos, in quibus semper diversimodè juxta varias rerum contingentias disposuit, & posthabitis pluribus aliis variationibus, illam præ cæteris DD. considerarunt magis ad rem facien. quòd in Codicillo anni 1543. Cardinali Joanni fuerunt quoad vineam substituti omnes ejus hæredes universales, nempè Jo. Baptista, Antonius Maria, ac etiam Alamannus, & filii Alamanni; & tamen in testamento anni 1545. substituit Bernardum, Alamannum, & ex eis nepotes, posthabitis Jo. Baptista, & Antonio Maria; undè quem-admodum ista posthabitio non habebat causam apparentem, nisi illam, quia sic placuit testatrici de suis rebus disponere, eum cæteroquin dd. Jo. Baptista, & Antonius Maria essent etiam ab avia dilecti, utpotè universales hæredes instituti;
47 ita revocatio substitutionis Alamanni, & filiorum, facta in ultimo testamento, tribuenda est nudæ testatricis voluntati, quæ in ultimis dispositionibus stat pro ratione, *l. cum quidam in fine*, ibi: *Quia & hoc voluis testator; C. de necess. servis hared. instit.* Angel. *in l. 3. C. de instit. & substit.* Bald. *in l. dotem, ff. solut. matrim.*

Accedentibus duabus ponderationibus, quarum prima est, quòd sicuti per disposita in ultimo testamento, testatrix præjudicavit Cardinali Joanni, illi adimendo medietatem bonorum, quæ anteà illi soli legaverat; ita mirum videri non debeat, quòd privaverit nepotes anteà substitutos, maximè quia eos in universo illius asse hæreditario hæredes scripserat. Altera ponderatio est, quòd cum Cardinalis Io. & Bernardus consequi debuissent legitimam ex bonis maternis, quam mater non reliquerat in ejus testamentis liberam ab omni onere, dum omnia bona illis legata gravaverat fideicommisso; hac stante consideratione, aliaque adjuncta, quòd Card. Joannem honoraverat pinguiori relicto, illo, quòd legaverat Bernardo, hinc verisimile est, quòd prudentissima mater ad servandam æqualitatem inter fratres, illos de novo pro æquali instituerit hæredes, sublato onere fideicommissi favore Alamanni, & filiorum, quos cæteroquin jam hæredes universales in tota, & quidem opulenta hæreditate scripserat, apposito tamen reciproco fideicommisso inter fratres, quod aliàs erat eisdem favorabile, vel saltem minùs nocivum, uti temporaneum, & ab unius tantùm vita dependens.

Quibus concinit etiam argumentum petitum ab observantia Ducis Francisci Mariæ, qui licet sollicitus, ac avidissimus fuerit impugnandi primogenituram clar. mem. Cardin. Antonii Mariæ Salviati usque ad illam augendam bonis subjectis aliis fideicommissis, sub eo obtentu, quòd de illis aliquatenùs dubitari potuisset; attamen de controversis canonibus consistentibus in corpore tam conspicuo sub ejus oculis existente, nec d. primogenituræ incorporavit, nec minùs de illis ullam minimam fecit mentionem, supponendo illos spectare ad hæreditatem Cardinalis Bernardi. Observantia autem in hisce quæstionibus ultimæ voluntatis dubiæ multùm facit, ac operatur, ex congestis per Rot. *dec. 442. n. 8.* cor. Merlin. & dictum fuit circa similem observantiam ductam ex hoc facto D. Ducis Francisci Mariæ in decisione super jocalibus, & tabulis pictis sub die 22. Martii 1706. §. 32. & in ejus confirmatoria 38. Junii ejusdem anni, §. 22. 48

His sic stabilitis, non officiunt multiplices auctoritates adductæ pro suadenda repetitione; nam major earum pars loquitur in terminis testamenti, & Codicilli, & non in terminis duorum testamentorum, quæ differentia in hac quæstione repetitionis, inducenda de una ad alteram dispositionem, est notabilissima, ut supra prædictum est, & semper repetere juvat. In primo enim casu, quia Codicillus non rumpit testamentum, utpotè illius pars, & sequela, ideò omnes præsumptiones dictant, omnesque capi debent interpretationes, ut ita concilietur testamentum cum Codicillo, ut unum non remaneat revocatum per alterum. Res verò aliter se habet in secundo casu, quia cum secundum testamentum rumpat, & annullet primum, omnes judicis regulæ docent, in dubio esse respondendum in exclusionem repetitionis, & quidem in terminis testamenti, & Codicilli loquuntur Dec. *cons. 190.* Natt. *cons. 476. ubi sub nu. 17.* fatetur diversimodè respondisse, quatenùs suum thema esset de duobus testamentis, Alciat. *cons. 106.* Giovag. *cons. 36. lib. 3.* Bell. Jun. *cons. 15.* Paul. Flam. penès Fusar *cons. 113.* super quo casu consuluit etiam Mans. *cons. 545.* Palm. *ad leg. 389.* qui duo ultimi latè, & diserte firmant d. distinctionem inter casum duorum testamentorum, & unius testamenti, ac Codicilli. 49

Præterea recensiti Doctores loquentes in terminis testamenti, & Codicilli, fundant repetitionem *in l. Cajo de alim. et cib. leg. et in l. legatum sub condit. ff. de cond. et demonstr.* Quæ tamen jura locum sibi vindicant, quando agitur de legato translato de uno in alterum; tunc enim translatio censetur facta cum onere priùs adjecto rei translatæ, secùs verò est, ubi legatum est translatum de eodem in eumdem, quo casu onus appositum in prima scriptura censetur ademptum in secunda, tametsi de ademptione nil dicatur, per text. *in l. si tibi, ff. de adim. leg. et l. non ad ea*, quæ postrema jura sunt illa, quæ applicantur huic hypothesi, quantumvis in ea legatum non fuisset in totum translatum in eumdem, sed pro medietate, ut supra probatum est ex pluribus rationibus quas non considerarunt Dec. *cons. 190.* & Natt. *cons. 476.* scribentes in simili hypothesi legati de uno in eumdem pro medietate tantùm translati: sed benè, & subtiliter excitarunt Cæphal. *d. cons. 67. et 68. lib. 1.* scribens contra Natt. & egregiè etiam Odd. *d. cons. 98.* respondens pro veritate. Menoch. *cons. 626.* juxta cujus scripta pronuntiavit Rota Florentina, ut ipse auctor testatur *in cons. 1020. n. 31. §. Nostra.* 50 51

Rursùs iidem Doctores loquentes in terminis testamenti, & Codicilli, scribebant in casu, in quo non concurrebat in Codicillo totalis variatio legati, seu fideicommissi, quoad substantiam, sed varietas consistebat in accidentalibus, puta in aliqua præposteratione temporis in succedendo, in quibus terminis consuluerunt Jason. *cons. 18.* Alciat. Giovagn. Bellon. & Flamin. & scribebant illi, qui amplectentes Natt. reiiciebant Cæphalum: undè non applicantur controverso themati, in quo tota forma substitutionis, quæ repetita prætenditur, fuit immutata, & renovata, tam quoad personas, quàm quoad ordinem, quàm demùm quoad ipsius rei substantiam: quare huic casui aptantur *cons. 80.* Cravett. *cons. 67. & 68.* Cæphal. *cons. 98.* Odd. *et cons. 626.* Menochii, qui loquentes pariter in terminis Codicilli respon- 52

responderunt in circumstantiis immutatæ substantiæ legati pro illius ademptione.

Doctores verò, qui loquuntur in terminis duorum testamentorum, quales sunt Natt. *cons. 483. 484. & 527.* Cæphal. *cons. 63. & 64.* Surd. *dec. 38.* Fusar *de substit. q. 51.* revsabantur in casu, in quo primum testamentum erat expressè confirmatum in secundo, & tantummodò reformatum in aliquibus mediantibus clausulis, *ut infra*, vel *salvis infrascriptis*, in quibus terminis quæstio erat, an legata facta in primo testamento, et non reperita in secundo primi confirmatorio, & in eodem secundo expressè non reformata, censerentur repetita, & respondent affirmativè, post tamen magnum effusum sudorem, quia vel primum testamentum confirmatum efficitur Codicillus in non reformatis, vel omnia contenta in eodem primo testamento, virtute confirmationis primi censentur translata in secundo, ex tex. *in l. si quis priore, ff. ad Treb. et in l. posthum. §. fin. ff. de inofic. et rupt. test.* quæ theoricæ non conveniunt huic casui, quia licet secundum testamentum, de quo agitur, sit confirmatorium primi; tamen legatum bonorum, de quibus agitur, cui est annexa controversa substitutio, legitur literis apertis exceptum à dispositionibus prioris testamenti confirmatis, & effectivè fuit reformatum, imò fuit de novo factum cum novis conditionibus, & substitutionibus, & immutatum, quoad substitutiones, tam in ordine, quàm in substantia, cum imò totum dictum secundum testamentum nil aliud contineat, quàm exceptuationem dictorum bonorum, ob antecedentia, & novam dispositionem ab illis, ut supra dictum est; undè præfati Doctores non tangunt punctum controversiæ, illudque veriùs feriunt scripta per Menoch *d. cons. 1020.* qui elaboratissimè expendendo omnia jura, quæ in hac materia allegari possunt, quæstionem pertractat, et exornat.

Definita hac controversia pro ademptione substitutionis Alamanni, et nepotum, apposita in testamento anni 1545. per secundum testamentum anni 1553. superfluum existimarunt DD decidere punctum, an dictum testamentum anni 1545. sit in forma probanti, atque an eadem substitutio fuerit facta per vulgarem, vel potiùs per fideicommissariam.

Et ita utraque &c.

REV. P. D. MOLINES DECANO.

Romana Primogenituræ de Salviatis super jocalibus, & tabulis pictis.

Luna 28. Junii 1706.

ARGUMENTUM.

Dispositio non dicitur relativa ad aliam, quando de ista nulla fuit habita mentio, & quando fuit datus novus modus succedendi; nec potest censeri, quòd quis voluerit sua bona alicui primogenituræ antiquæ incorporare, quando bona sunt relicta suo hæredi, maximè si in familia aderant plures primogenituræ, itaut ignoretur, cuinam sit facienda incorporatio. Dilatio quandonam deneganda veniat. Privata Archivia, & particulares scripturas suis ostendere non tenetur, nec pati, ut ab aliis perquirantur.

SUMMARIUM.

1 *Fœmina venit nomine primogeniti, quando masculi deficiunt.*
2 *Sub appellatione primogenitorum quandonam inclusi dicantur soli descendentes, non autem collaterales, seu adoptati remissivè.*
3 *Ad hoc ut una dispositio non dicatur relativa, et dependens ab altera, sufficit, ut de relatione, et dependentia clarè non constet.*
4 *Quando dispositio est de se perfecta, tunc licet sit relativa ad aliam dispositionem, talis relativa debet censeri habita quoad conditiones, et modum succedendi, non verò quoad personas, quæ in dispositione referente non continentur.*
5 *Dispositio concepta per verba independentia, dispositiva, et clara, dicitur in se perfecta, et exequibilis absque eo, quod sit opus recurrere ad aliam.*
6 *Id quod relictum est suo hæredi universali, non potest dici incorporatum antiquæ primogenituræ, cum impossibile sit, quòd hæres sit in hæreditate unicus, et comprehendatur sub fideicommisso alterius et n. 7.*
8 *Testator gravans institutum ad restitutionem sub nomine sui hæredis, censetur, quòd noluerit relicta alteri, fideicommisso incorporare; nam hoc casu non gravasset sub nomine sui hæredis.*
9 *Substitutiones regulam, & determinationem recipiunt à præcedenti institutione, adeò ex eo jure, & nomine, quo capit institutus, capere censentur etiam substituti.*
10 *Verbum*, majoratco, *significat primogenituram, non primogenitum.*
11 *Quando dictum verbum possit significare etiam primogenitum.*
12 *Potiùs attendendus est sensus orationis, quàm propria significatio unius verbi, per quam oratio redderetur inepta, & impropria.*
13 *Primogeniti nomine venit major natu, non verò major ætatis.*
14 *Dictio*, aut, *inter duo apposita, est explicativa, & declarativa.*
15 *Verba sunt intelligenda non secundùm id quod sonant, sed secundùm mentem proferentis.*
16 *Eo ipso, quòd bona sunt alicui fideicommisso incorporata, venit in consequentiam, quòd successio in eis sit regulanda cum legibus, & conditionibus in ipso fideicommisso demandatis.*
17 *Proindè quando est data nova, & perfecta forma succedendi, signum evidens, quod noluit incorporare.*
18 *Verba*, dovendo succedere in essi, *non important dispositionem actualem, sed præsuppositivam alterius dispositionis.*
19 *Sed tamen dicta verba debent referri ad alteram dispositionem antecedenter à testatore explicatam, non verò ad aliud fideicommissum antiquum, de quo mentio facta non fuit.*
20 *Verbum*, gradatamente, *indicat successionem de patre in filium, & de descendente in descendentem, nec potest extendi ad adoptatos.*
21 *Verba in dispositione hominis debent accipi naturaliter, & non civiliter, seu fictè.*
22 *Impossibile est, quòd quis voluerit sua bona incorporare antiquo fideicommisso, quando in sua dispositione exclusit personas in eodem fideicommisso vocatas.*
23 *Verba perpetuitatem denotantia non extenduntur ultrà descendentes vocatos, nec porrigunturad collateralis, quando testatoris mens id non exigit.*
24 *Non est credibile, quòd quis voluerit sua bona incorporare antiquo fideicommisso, de quo nullam mentionem fecit in sua dispositione.*
25 *Et maximè quando in familia aderant plura fideicommissa, itaut dubium remaneret, cui faciendæ esset incorporatio.*
26 *Legatum mobilium in dubio debet præsumi incorporatum fideicommisso, sub quo venit palatium eisdem mobilibus ornatum.*
27 *Observantia hæredum gravatorum optimè declarat, quòd bona non fuerant alteri fideicommisso incorporata.*
28 *Dilatio licèt sit arbitraria judici, tamen arbitrium in ea concedenda debet regulari à jure.*
29 *Dubia non dicitur causa, & exposcens altiorem indaginem, quando pendet ab articulo juris per aperitionem librorum decidendo.*
30 *Dilatio non est ulteriùs concedenda, quando quis habuit tempus sufficiens ad se præparandum.*
31 *Compromissum fieri solet ad celeriter terminandas causas, maximè inter conjunctos.*
32 *Reorum, & possidentium prima defensio solet consistere in differendo, & fugiendo.*
33 *Scripturas privatas nemo tenetur edere, nec pati, quòd illæ perquirantur, ne sua domus secreta propalentur.*
34 *Compromissum est strictì juris, nec extenditur ad causas in eo non expressas.*
35 *Scripturas non facientes ad causam quis edere non tenetur.*
36 *Observantia non attenditur, ubi verba sunt clara, & si concurrit, adducitur ad majorem cautelam.*
37 *Exempla non attenduntur, ubi circumstantia variant.*

DECISIO LXXXIX.

Sacrum Auditorium electum vigore voluntarii compromissi, ad definiendam duplici decisione, quacumque appellatione remota, differentiam extraiudicialiter inter Dominos de Salviatis exortam super pertinentia quorumdam insignium jocalium, & tabularum pictarum, de quibus in suo testamento bonæ memoriæ Dux Jacobus Salviatus disposuerat: prima die 22. Martii, proximè effluxi edidit resolutionem firmantem, illa spectare ad Dominam Catharinam Mariam Zephirinam, filiam infantem bonæ memoriæ Ducis Antonii Mariæ Salviati nuper defuncti, & non ad Dominum Antonium Mariam modernum Ducem Salviatum; & cum fundamenta decisionis hodiè novo, & accuratissimo supposita examini, firma in facto, solidaque in jure comperta fuerint, robur ulterioris approbationis obtinuere; non obstante tam implora-

tione dilationis per Ducem Salviatum expetitæ, quàm etiam instantia per eumdem facta super exhibitione, & perquisitione librorum, & scripturarum domus Salviatæ.

Tota enim denuò perspecta præfati Ducis Jacobi dispositione, eaque juxta receptissimas nostri iuris theorica, interpretata, constans perstitit Dominorum Judicium dictum Ducem super controversis tabulis pictis, & jocalibus novum, & peculiarem constituisse maioratum favore primogenitorum suæ familiæ descendentialis; nequaquam verò illa incorporare, & aggregare voluisse antiquæ primogenituræ clar. mem. Cardinalis Antonii Mariæ Salviati; ut hinc proindè definitum remaneat, ad ipsorum consecutionem aspirare non posse modernum Ducem Salviatum in dicti Cardinalis primogenitura successorem, sed eadem pertinere ad Dominam Catherinam Mariam Zephirinam uti filiam unicam, & primogenitam Ducis Antonii Mariæ, ultimi masculi de sanguine, & descentia Ducis Jacobi testatoris; cum juxtà communem Doctorum sententiam, deficientibus masculis, fœmina comprehendatur sub nomine primogeniti, per ea, quæ tra-
1 dunt. Molin. *de primog. lib. 3. cap. 4. num. 4.* Mierez *de majorat. part. 2. quæst. 6. nu. 4.* Castill. *quotid. controv. lib. 5. cap. 39. §. 1. n. 26.* cum pluribus relatis *in præterita decisione §. Ratio dicendi cum seq.* ubi etiam dilucidè ostensum fuit, quòd sub nomine generico primogenitorum, Dux Jacobus solos eius descendentes primogenitos, & non etiam collaterales, & longè minùs adoptatos includere voluit, ex deductis
2 *à §. 7. usque ad* 12. quæ DD. absque ulteriori discursu approbarunt, veluti prævalidis innixa rationibus, tam in facto quàm in iure abundè firmatis.

Quòd autem Dux Jacobus non intellexerit aggregare jocalia, & tabulas pictas antiquæ Cardinalis Antonii Mariæ primogenituræ, sed super eisdem novum, & independentem erigere voluerit majoratum (in qua inspectione verè cardo difficultatis sistere videbatur) ex eo iterum Domini principaliter desumebant, quòd verba, quibus concepta fuit dispositio tabularum pictarum, & jocalium, præferunt absolutam, completam, & independentem primogenituræ constitutionem, sine ulla expressa, vel tacita mentione, ac relatione ad aliam antiquiorem dispositionem primogenialem; quinimò eorumdem verborum efficacia, & legalis significatio manifestè pretensam aggregationem excludunt, quòd pro fine, de quo agitur, superabundat. cum ut una dispositio non dicatur relativa, ac dependens ab altera, sufficiat, quòd de tali relatione, ac dependentia non constet clarè, & evidenter, ut punctim
3 observant Molin. *de primog. lib. 1. c. 26. n. 6. in fine*, Francisc. à Pont. *cons. 63. n. 36. & seq. lib. 1.* cum aliis generalibus allegatis *in præterita causa decisione, §. 14.*

Itaut recensitæ presentis thematis circumstantiæ, quòd dispositio facta per Ducem Jacobum sit omninò perfecta, & de per se apta ad inducend am particularem primogenituræ erectionem, quòdque in aliquibus non conveniat cum dispositione Cardinalis Antonii Mariæ, hoc desuper afficiant, et operentur, ut ubi etiam ex suppositione dictus testator fundasset suum maioratum, habita expressa relatione ad alterum antiquiorem Cardinalis Antonii Mariæ, adhuc juxtà communiorem DD. sensum, huiusmodi relatio habita censeri debeat respectu conditionum, et modi succedendi in relata dispositione præscriptorum; secùs verò respectu personarum, quæ in dispositione referente non continentur, ut conciliando adversantes opiniones, Soccin. Jun. *in cons. 35. lib. 3.* Decii *in resp. 362. n. 47.* te-
4 nuere DD. relati *in alia causa dec. §. 15. & 16.* et decisum fuit in Romana Fideicommissi de Maximis apud clar. memoriæ Coccin. *dec.* 1707. 1740. *& in decis.* 432. coram Merlin. atque de alio fortiori casu, in quo testator dixerat, quòd successio regularetur ad formam fideicommissi, relati *in decis.* 180. *part. 17. confirmata in decis.* 205. coram bon. me. Emerix, et in alio consimili themate in Bonon. Fideicom. de Herculanis 13. Jun. 1701. *§. Descendendo*, cor. R. P. D. Muto.

Perspicuum autem apparuit, sepèdictam Ducis Jacobi dispositionem esse perfectam, intelligibilem, et exequibilem absque ope recurrendi ad alienam, et nullam, nec expressam, neque tacitam: præferere relationem ad primogenituram Cardinalis Antonii Mariæ. In hinc quippè modum ille alloquutus est: *E quelli* (idest jocalia, et tabulas pictas) *lascio al mio erede universale sotto perpetuo fideicommisso à favore del majorasco, o primogenito della nostra casa, dovendo succedere in essi, siccome voglio, che succeda gradatamente uno dopo l'altro in infinito:* Qui dispositionis contextus tria continet, et primò quidem legatum, et nominationem primi legatarii jocalium, & tabularum pictarum in personam hæredis universalis ipsius testatoris: secundo loco substitutionem primogenitorum domus: & tertio demùm loco modum, quo dicti substituti succedere deberent; & tam primi legatarii nominatio, quàm substitutio, & ratio, quia ista regulanda esset, sunt conceptæ verbis dispositivis, claris, & indepedentibus, taliter ut non sit quid ampliùs desiderari queat ad componendam veram, expeditam, & inde- 5
pendentem majoratus institutionem, ut in hisce terminis animadvertit Rot. *dec.* 432. *n.* 5. cor. Merlin. *dec.* 180 *n.* 17. cum aliis relatis *in decisione, quæ confirmatur, §. 17.*

Et nihilominùs apertiùs excluditur relatio, & dependentia, singillatim perpensis tribus prædictæ dispositionis partibus: & incipiendo à nominatione primi legatarii, ista legitur facta favore hæredis universalis testatoris, ibi: *E quelli lascio al mio erede universale.* Si ergo Dux Jacobus jussit, & voluit, ut tabulæ pictæ, & jocalia primo loco essent sui hæredis universalis, ergo noluit illa legare hæredi Cardinalis Antonii Mariæ, cum stare non possit, quòd aliquid sit in hæreditate unius, & comprehendatur in fideicommisso alterius, ut subtiliter ponderavit Rot. *dec.* 180. *n.* 17. *par.* 17. *rec.* Et profectò, si ipse testator habuisset ani- 6
mum segregandi à sua hæreditate sæpedicta jocalia, & tabulas pictas, ad effectum illa incorporandi primogenituræ Cardinalis Antonii Mariæ superfluum erat illa primo loco nominatim relinquere suo hæredi universali instituto, dum posita nuda incorporatione, ille citrà novam dispositionem succedebat in eisdem, utpotè absque controversia ad dictam primogenituram vocatus: Inferre propterea licet quòd eatenùs testator fecit legatum jocalium, & tabularum pictarum suo hæredi universali, quatenùs exponere voluit, ejus mentem extitisse, particularem instituendi majoratum, ad eumque vocandi filium, tanquam suum hæredem, non tanquam successorem, & hæredem Cardinalis Antonii Mariæ, *ut concludit prælaudata decisio* 180. *num.* 1. *part.* 7
17. *recent.*

Idemque convincitur ex verbis; quibus ordinata fuit substitutio primogenitorum, ibi: *Sotto perpetuo fideicommisso à favore del majorasco, ò primogenito della nostra casa*: nam si 8
reliquit testator jocalia, & tabulas pictas suo hæredi, eiusdemque fideicommisit eorum restitutionem primogenitis domus faciendam, consequens est, quòd de illis particularirer disposuerit independenter ab alterius fideicommisso; aliàs si illa incorporare voluisset primogenituræ Cardinalis Antonii Mariæ, non gravasset ad illorum restitutionem filium sub explicito nomine sui hæredis, sed eum onerasset tanquam hæredem dicti Cardinalis.

Atque hinc nulla recta ratione affirmari potest, quòd primogeniti substituti illi fuerint, quos Cardinalis Antonius Maria invitaverat in suo maioratu, quia si ex probatis primus legatarius gravatus ad restituendum, capere debebat jocalia, & tabulas pictas, veluti hæres Ducis Jacobi, & non tanquam hęres Cardinalis Antonii Mariæ, eadem norma succedendi censetur data substitutis, ut scilicet etiam isti idem relictum assequi debuissent vocati in particulari dispositione eiusdem Ducis, & non veluti comprehensi in primogenitura dicti Cardinalis, cum substitutiones, commensurationem, regulam, & determinationem
recipiant à præcedenti institutione, seu relicto in hære- 9
dem collato, & cui data sunt substituti, *leg. Coheredi* 41. *§. Qui diferetus. ff. de vulgar. & pupillar.* Soccin. Jun. *cons.* 66. *n.* 4. *lib.* 3. Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 16. *num.* 17. Fusar. *de substitut. q.* 478. *n.* 2. & 3. Rot. *dec.* 33. *n.* 3. coram Catd. Celso, *& dec.* 98. *n.* 2. *part.* 17. *& dec.* 237. *nu.* 10. *p.* 19. *tom.* 2. *rec.*

Nec est, quòd dicatur huic interpretationi subsistere rectam significationem verbi: *Majorasco*, quod cum in vocabulario Etrusco, vulgò, *della Crusca*, postremæ impres- 10
sionis anni 1691. exponatur pro primogenitura, & non primogenito, undè dicendum veniat, quòd hæres universalis ducis Jacobi gravatus fuerit ad restituendum jocalia, & tabulas pictas maioratui, & primogenituræ jam præexistenti, & non primogenitus ex Duce testatore descendentibus.

Triplici quippè responsione confutatum est tale obiectum: Et ex ea quidem prima, quia usque adhuc desiderata certa, & plena probatio, quòd verbum: *Majorasco*, in sua vera, & rigorosa significatione exponi debeat solummodò pro hęreditate, & non pro hęrede, seu pro primogenitura, & non pro primogenito: nam licet pro primogenitura illud explicet ultimum vocabularium, *della Crusca*, quia tamen illius compilatores fundant huiusmodi expo-

sitionem in quibusdam jocosis versibus *Allegri*, qui non est de illis classicis authoribus idiomatis Italici, irrefragabilem in subjecta materia facientibus authoritatem, sed de inferioris nominis Italis scriptoribus, quique ab antiquis Crusæ accademicis minimè inter linguæ authores receptius fuerat, prout convincitur ex duabus præcedentibus impressionibus ejusdem vocabularii annorum 1612. & 1623 in quibus nec hujusmodi verbum, *Majorasco*, continetur; hinc super hac unica Allegri authoritate pes firmus in judicando collocari non potest, maximè quia pro comperto est, in pluribus aliis Etruriæ nobilissimis civitatibus, in quibus servatur puritas loquutionis Italicæ, verbum, *Majorasco*, sumi etiam pro majori natu, & ad explicandum majoratum adhiberi verbum, *Majorascato*, & ita præcæteris eadem verba leguntur exposita in dictionario Italico Gallico, *Authore Nathanae Duetz, in verbo Maggiorasco, & in alio Hispano Italico Christophori delas Casas, & in alio Italico Hispanico Laurentii Franciosini Florentini verba Majorasco.*

Secunda responsio petita fuit ex eo, quòd si Dux Jacobus per verbum, *Majorasco*, intellexisset dicere primogenitam, admodùm improprie in ejus constituendo fideicommisso loquutus fuisset; instituisset enim fideicommissum favore fideicommissi, & ordinasset, ut ipsum fideicommissum, seu primogenitura deberet in controversis jocalibus, & tabulis pictis succedere: quo modo loquendi, & scribendi nihil ineptius, cum secundum proprietatem fideicommissa ordinentur favore personarum in illa succedere debentium, & successio dirigi soleat ad hæredem, & non ad hæreditatem, ut advertitur *in præterita decisione §.* 21. Quare ne ad salvandam assertam proprietatem loquendi respectu unius verbi, incidatur in longè maius inconveniens, quòd testator vir, ut supponitur, literis imbutus, inepte, & minùs propriè unam integram orationem exarasset, satius est dicere, quòd adhibuisset verbum, *Majorasco*, pro primogenito, esto minùs propriè, quàm quòd volens aggregare certas res antiquæ primogenituræ, hunc eius mentis conceptum explicasset tam impropriè, & ineptè, instituendo fideicommissum favore alte-
12 rius fideicommissi, ordinando, ut maioratus, qui est res inanimata, succederet, ex regula text. *in leg. ult. in fine, Cod. de fideiusor. & in l. legis virtus, ff. de legibus.* Surd. *cons.* 160. *num.* 75. Mandell. *consil.* 185. *num.* 12. optimè Vela *dissert. 6. nu. 24. decis. 629. num. 8.* coram Merlino.

Tertia, & cæterarum solidior responsio est, quòd sæpè nominatus testator, quasi prævidens, quòd verbum, *Majorasco*, futuris temporibus à linguæ Etruscæ rigidis censoribus interpretari potuisset pro primogenitura, verbis expressis patefecit, & declaravit, ejus mentem, & voluntatem fuisse illius nomine significandi primogenitum, & non primogenituram, dum illi subdidit, *ò primogenito*, ibi: *A favore del Majorasco, ò primogenito della nostra casa.* Nomine autem primogeniti sine ullo dubio venit hæres,
13 & non hæreditas, major natu, & non majoratus, *cap. Joseph* 5. *de verb. signific.* Thesaur. *qu. forens.* 35. *num.* 2. *lib.* 1. Mans. *consultat.* 95. *num.* 18. *circa med.* Rauden. *de analog. c.* 15. *nu.* 267. *& seqq.* Torr *de primogen. Ital. p.* 1. *c.* 1. *§.* 7. *nu.* 57. *& c.* 2. *§.* 1. *nu.* 1. *& seqq.* Quemadmodum inficiari nequit, quin per dictum verbum, *ò primogenito*, voluisset testator explicare, quod proferre intellexerat per immediatum antecedens verbum, *Majorasco*, dum dictio, O, Latinè,
14 *Aut*, inter utrumque interposita, sit explicativa, & declarativa, Paris. *cons.* 110. *num* 18. *lib.* 3. Altogard. Sen. *cons.* 60. *num.* 32. *lib.* 3. Honded. *cons.* 69. *num.* 28. *vol.* 2. Jacobat. *de concil. lib.* 3. *art.* 1. *num.* 110. Barbos. *tract. var. diction.* 46. *num.* 8. *cum aliis in decisione pretertita §.* 20. Quapropter non indigemus alieno vocabulario, ubi testator se ipsum glossavit, sed recurrendum ad Pontificii, Cæsareique juris regulas potissimè sanctas *sub tit. de verbor. significat.* quæ sunt, ut verba intelligenda non sint secundùm quod sonant, sed secundùm mentem proferentis, quòdque ea deservire de-
15 beant intentioni, & non illis intentio, *can. humana* 22. *quæst.* 5. *& in cap. Intelligentia de verb. signific. ubi quòd non sermones, sed res est sermo subiectus, l. Nepos Proculo, ff. de verb. interpret. leg. in ambiguis, ff. de re iudic. & optimè* glos. *in dicto cap. Intelligentia verb. ex causis*, ibi: *Non statim intelligere debemus, ut verba prima facie sonare videntur, maximè ubi ambigua sunt; sed debemus recurrere ad intentionem loquentis*, & passim in aliis, & meliùs ad rem *in cap. propterea de verb. signific.* in quo Pontifex scribens amico, ut dicit Glos. eum monet, ut sensum, & non verbum suarum epistolarum attenderet, ibi: *Rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferri, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur*, & ibi Glos. *in verb. proprietas.*

Nec turbat, quòd dicto verbo, *ò primogenito*, addita fuerint altera verba, *della nostra casa*; tum quia ex latitudine, quam importare possent dicta verba, aliquod forsan apparens desumi valeret argumentum ad affirmandum, quòd Dux Jacobus ad suam particularem primogenituram ultrà descendentes vocasset etiam collaterales, quod tamen neque subsistit, *ut latè comprobat decisio pretertita, §. 8. cum seqq.* non verò quòd vocando majorem natu, & primogenitum, *della nostra casa*, intellexerit vocare primogenitos vocatos in aliena primogenitura: tum etiam quia licèt dicta verba, *della nostra casa*, ad primum eorum sonitum videantur præseferre omnes de familia, tamen in vocabulario mentis Ducis Jacobi unicè attendendo, indubitatum est, quòd verba, *della nostra casa*, significabant, *della mia casa*, ut probat *decisio pretertita §. 6. cum seqq.*

Manifestè demùm excluditur relatio, & dependentia dispositionis Ducis Jacobi, ab illa Cardinalis Antonii Mariæ ex modo dato per Ducem in succedendo ad controversa iocalia, & tabulas pictas, qui talis est, *dovendo succedere in esse, siccome voglio, che succeda gradatamente uno dopo l'altro.* Ponderatum quippè fuit, quòd si testator voluisset incorporare dicta iocalia, & tabulas pictas alteri primogenituræ Cardinalis Antonii Mariæ, frustrà præscripsisset particularem, & specialem modum succedendi, superabundante simplici incorporatione, ad hoc, ut de repente unusquisque intellexisset, quòd rerum incorporatarum successio regulanda foret cum legibus, & conditionibus demandatis in dispositione, seu primogenitura, cuius favore facta esset incorporatio, per text. *in l. 1. §. Præterea, ff. de separat. bono-* 16
rum, Mierez *de majorat. part. 1. q. 10. n. 21. part. 2. & nu. 51. vers. qua doctrina, & num.* 26. Eo ipso igitur, quòd in dispositione Ducis Jacobi data fuit particularis norma succedendi, expressa per orationem perfectam, evidens colligitur argu- 17
mentum, quòd ipse voluisset condere particularem majoratum independenter ab illis antiquioribus suæ domus.

Non urgente, quòd dicta verba, *dovendo succedere in essi*, non denotent dispositionem actualem, sed præsuppositivam alterius dispositionis dantis ordinem ad succedendum; eòque magis, quia subjungere, *siccome voglio, che succeda*, sit quidem ordinatio de præsenti, sed relativa ad dis- 18
positionem de præterito, & sic ad primogenituram Cardinalis Antonii Mariæ.

Huic namque subtili interpretationi subtilior, & verior occurrit responsio, quòd scilicèt dicta verba, *dovendo succedere*, sunt quidem præsuppositiva dispositionis jam factæ, sed præsuppositiva dispositionis ipsius Ducis Jacobi, non verò Cardinalis Antonii Mariæ. Cùm enim Dux antè præfata verba statuisset primogenituram verbis dispositivis, de se solis sufficientibus ad illam inducendam, ibi: *E quelli lascio al mio erede sotto perpetuo fideicommisso à favore del majorasco, ò primogenito della nostra casa*, ultrò deinde progrediens ad præscribendum modum in illo succedendi, rectè loqui poterat verbis illis præsupponentibus jam factam, & stabilitam, dicendo, quòd in eadem debeant succedere, prout voluit, ut succederent primogeniti, *gradatamente uno dopo l'altro*; atque ideò cum dicta præsuppositio, salvo re- 19
cto sermone, referri commodè possit ad primogenituram ejusdem Ducis Jacobi, non est referenda ad aliam primogenituram, de qua nulla mentio, nulla relatio, nullumve dependentiæ perspicitur signum, ut opportunè animadvertit decisio præterita, §. 20. Et sanè tantùm abest, ut sæpedicta verba, *dovendo succedere in essi, siccome voglio, che succeda*, sint apta ad inducendam relationem unius fideicommissi ad alterum, quòd imò similia latinè prolata *succedere debeant, & succedant*, fuere per Rotam in simili controversia agitata coram Merlin. *d. decis.* 432. *num.* 1. ponderata ad excludendam relationem unius fideicommissi ab altero, sub ea ratione, quia illa utpotè dispositiva constituebant particularem, perfectam dispositionem, intelligibilem, ac exequibilem sine ope recursus ad alienam.

Et sine ulla prorsùs difficultate, quia sæpè dictis verbis, *dovendo succedere, siccome voglio, che succeda*, contexta leguntur illa alia, *gradatamente uno dopo l'altro*, quæ evidenter excludunt præsuppositionem, & relationem ad primogenituram Cardinalis Antonii Mariæ. In ista enim post primogenitos agnatos vocantur extranei adoptati in familia de Salviatis, qui per dicta verba, *gradatamente uno dopo l'altro*, remanent incomprehensi in dispositione Ducis Ja- 20
cobi, cùm succedere de gradu in gradum sit succedere de filio in filium, & descendente in descendentem, & nun-

quam